

- 135 Impius igitur est Machiavellus, qui lib. de Principe, non est, ait, necesse Principi habere Virtutes, Pietatem, Fidem, Humanitatem: sed eas simulatione præferre necesse est. Imò ausim dicere, habere illas, & semper observare, damnosum esse; cum sit novo Principi sæpe necessarium, operari contra Fidem, contra Charitatem, contra Humanitatem, contra Religionem. Aliter & sanctius scripsit Lippius r. monit. poli. 6. quando melius, inquiens, securus, firmius, rectè aperitque via incendere: DEO, sibi, hominibus se probare? exclamare cum Seneca: nihil opinionis causa, omnia conscientia faciam. Populo spectante fieri credam, quidquid me conscientio faciam. Nempe (subinfert Doctor Clarevallensis in Cant. Seru. 85.) nihil hac luce clarius, nihil hoc gloriofus testimonio, cum veritas in mente fulget, & mens in veritate se videt. Confer D. Braun r. Juris de Fide, ubi distinctissime & succinctissime probat, fidem hæreticis, infidelibus, hostibus, tyranno, rebelli, piratæ, latroni, æque à Principibus ac privatis, suadente sic & urgente publica totius orbis salute, servandam esse.
- 137 Ostenditur VII. testamenti factionem eò sensu, quòd homines valeant (non debeant) de rebus suis in tempus mortis disponere, ex prædictis Naturalium Legum regulis quam optime probari. Commune enim collectæ mortalitatis placitum eam dominio vim trahisse videtur, ut, quæ quisque labore & sudore vivus sibi parturiti bona, tum inter vivos, tum etiam in casum securitæ mortis in alios erogare, officia demereri, ac beneficia compensare queat, quæ re & vivi maxime juvantur, & morientes delectantur. Millerus ad Struv. exercit. 32. th. 3. l. 12. Illi præsertim,

qui immortalitatem animæ non solam in fide sed etiam in pretio habentes, post mortem bene sibi facere & fieri desiderant. Quo ratio est, quòd, ex testimonio citati Milleri, potiores Gentes liberam testandi licentiam receperint; atque, ut ait Quintilianus de declam. 308. in more civitatis, in Legibus positum fuerit, ut quotiens fieri poterit, defunctorum testamentum scetur. Neque enim, pergit ille, aliud videtur solatium mortis, quam voluntas ultra mortem: alioquin potest grave videri & ipsum patrimonium, si non integram Legem habet: & cum omne jus nobis in id permittitur viventibus, auferatur morientibus. Prolixius hanc opinionem in tom. 2. lib. 3. tract. de Success. heredit. prosequemur.

Plura exempla proboranda & dilucanda à Regula nostra de indagando Juris Naturalis objecto accumulari possent: sed ista, ut opinor, cum celebriora sint, sufficient: hoc unicum adnotatò, non omnia Juris Naturalis præcepta, unicum velut intuitu ex nostro principio deduci: quandoquidem longiori subinde discursu opus est, ut probetur & demonstraretur efficaciter, publicè interesse, hoc vel illud objectum esse prohibitum aut præceptum. Ex quo est, quòd iuxta majorem vel minorem rectæ rationis lucem, pauciora vel plura Juris Naturalis capita una vel altero percipiuntur. Ideo quæ cum mala consuetudo, prava educatio, vitiosi habitus, improba societas, quin ipsa organerum dispositio lumè rationale sæpissime non quidem ex toto obvelent & extringant, summopere tamen obducant, non raro mala putantur bona, & vitia mendaci colore ac fide suam turpitudinem celant. P. Wenzl de LL. q. 2. §. 2. in Coroll.

### SECTIO III.

#### De effectu Juris Naturalis.

##### SUMMARIA.

141. Omnis Lex Naturalis obligat in conscientia. 142. & seqq. Proponitur quedam distinctio inter obligationem legalem ac moralem. 144. Rejicitur. 145. & seqq. Vindicatur auctoritas Covarruvæ. 147. Explicatur varietas obligationis. 148. Recapitulatio doctrinæ prioris capituli de Lege irritante. 149. & seqq. Ratio dubitandi de applicatione illius ad Legem Naturalem. 151. Distinctio pro utriusque sententia concordia. 152. & seqq. Conclusio & regula de cognoscenda Lege Naturali irritante. 156. & seqq. Conclusio & regula alia de eadem Lege. 159. & seqq. Conclusio & regula de Lege Naturali tantum prohibente. 162. Agitur de mutatione Juris Naturalis. 163. & seqq. Ad-

struuntur varia mutationis genera. 168. Jus Naturale permissivum mutari potest. 169. & seqq. Præceptivum formaliter & proprie ne quidem à DEO mutari potest. 173. & seqq. Objectum cum instantia dilimitur. 179. & seqq. Potest ab humana potestate improprie mutari, quando materia pendet ab illa. 181. & seqq. Scrupulus eximitur. 183. & seqq. Ponuntur exempla. 186. & seqq. Potest mutari improprie à DEO, quando materia illius potestati subjacet. 191. & seqq. Non item, quando non subjacet. 195. Epikiam improprie non respicit Jus Naturale. 196. & seqq. Proprie non suffert. 200. & seqq. Oppositio quadam in medium preteritur, & eliminatur.

##### §. I.

#### An omnis Lex Naturalis in conscientia obliget ad actum?

- 141 O mne Legem, Naturalem & Positivam, vel ad poenam, vel ad utrumque, definitum est in cap. 1. §. n. 234. Jam verò Legem Natu-

turalem, cum poenam temporalem annexam non habeat, sed spirituales, in altero mundo sustinendam, ad actum vel faciendum, vel omitendum obligare, eò certius definiti potest & debet, quòd minus ex una parte dubium est, quòd Legis Naturalis Auspex & Vindex DEUS neminem puniat, nisi culpæ in conscientia reum; quòve ex altera parte magis est pervium, ea, quæ recta præcipit ratio, agenda; ea, quæ prohibet, vitanda esse.

- 142 Unum ergo, quod ulterius hic excutendum restat, est singularis quorundam sententia, distinguuntur duplicem obligationem Naturalem, Legalem videlicet & moralem. Legalem dicunt, quæ non oritur ex debito præcedenti simpliciter tali; qualis est obligatio honestatis & gratitudinis, quam contrahit ille, qui ab altero beneficium accipit, utpote cui ad agendas gratias non ex debito stricto, sed honestate potius obstringitur. 143 Moralem appellant, quæ ex debito præcedenti simpliciter tali subnascitur; qualis est obligatio justitiæ, ex pacto vel contractu surgens, utpote ad ejus exsolutionem creditor jus strictum & rigorosum adversus debitorem habet. Priorem obligationem in conscientia procedere, negant; posteriorem stringere, affirmant, sententiæ suæ Authorem laudantes Didacum Covarruviam in cap. cum eses de Testam. n. 17. & in cap. cum in officiis ead. tit. circa fin.
- 144 Sed præfatam distinctionem neque ratio, neque auctoritas sustinet. Ratio namque suadet, omnia peccata, quæ Naturæ repugnant, lædere conscientiam: implicat enim,

actum Naturæ rationali quæ tali dissentaneum exercere, nec simul in conscientia sentire reatum culpæ, ab actu dissentaneo inductum. Unde D. Paulus sæpe cit. Epist. ad Rom. 2. dum Gentibus quoque Legem Naturalem esse cognitam, ostendit, mox §. 15. adjicit: testimonium reddente illis conscientia ipsorum.

Authoritas verò Covarruvæ neutiquam succurrit: quandoquidem in cap. cum in officiis de Testam. n. 31. disertissimis verbis docet, obligationem honestatis, seu gratitudinis, quæ ex collatione beneficii redundat, quandoque sub mortali stringere, si nempe contemptus beneficii concurrat. Similiter in cap. cum eses d. num. 17. aperte contendit, obligationem, quæ ex testamento insolentem oritur, non esse veram obligationem naturalem: cum neque retentionem neque exceptionem operetur, ut obligatio naturalis vera operari debet; sed solum indebiti repetendi negationem, quæ in nostra sententia, in cap. 1. n. 346. relatâ, tunc primum exoritur, quando indebitum ex testamento imperfecto scienter & sponte solutum est.

Cæterum non invidus largior, debitum honestatis & justitiæ multum differre: cum prius in creditore jus strictè dictum, & vinculum morale non inducat; posterius autem jus proprietatis, legale, & ut ajunt, rigorosum ex parte creditoris, unâ cum obligatione solvendi & restituendi ex parte debitoris, efficiat. Suarez de LL. l. 2. cap. 9. num. 6. & 7. Gibalinus Scientia Can. l. 3. c. 4. q. 1. num. 2. Repetantur dicta in tractat. præamb. cap. 2. à num. 38.

##### §. II.

#### Utrum Jus Naturale quosdam actus faciat irritos?

- 148 A D effectum Legis in præced. cap. à n. 311. reduximus vim partim prohibendi, partim irritandi actus, Legi contrarios; quin Legem humanam prohibentem regulariter quoque irritantem esse, conclusimus in num. 317. Num eòdem tenore de Jure naturali philosophandum, atque actus, contra Legem Naturæ prohibentem exercitus, pro irritò declarandus sit? Est, quòd dubitemus. Ratio pro parte negante est: tum quia Jus Naturæ solum præcipit aut prohibet, non etiam irritat: tum quia matrimonium v.g. cum voto simplici castitatis ininitum, est illicitum, & tamen non irritum; uti & secunda emptio, contra primam, cum traditione celebrata, est quidem prohibita, nec tamen invalida.
- 150 Econtra Ratio pro parte affirmante variis exemplis ininitur. Nam I. matrimonium, vi, errore, in potentia contractum, est irritum. II. contractus ex dolo, circa substantiam rei versante, ininitus, est invalidus. III. usura, seu promissæ tantum, seu etiam solutæ feneratori, nullum retinendi jus tribuunt; sique invalidè tam promittuntur, quam exsolvantur. Utraque pars contradic-

nis combinari, & sustineri potest, si distinguatur: an actus de Jure naturali prohibitus sit ob defectum potestatis, materię incapacitatem, aut indecentiam cum causæ perpetuitate conjunctam; an verò prohibitio ex motivo alio sit facta? Unde

Dico I. Quando actus Naturali Jure prohibitus est ob defectum potestatis vel materię incapacitatem, simul est irritus. Suarez de LL. l. 2. cap. 12. n. 4. Ratio est: quia, dum adest vel defectus potestatis in agente, vel incapacitas in materia, deest aliquod principium & requisitum substantiale, quò sine actu nec licere nec valere potest. Quia ergo vis, dolo, & error substantialis tollunt, aliquod principium substantiale, consensum videlicet, reddunt matrimonium & contractum quemcumque invalidum. Similiter quia impotentia perpetua inducit incapacitatem in materia, corpore scilicet humanò, illud in ordine ad usum generationis inhabilitandò, matrimonii licitatem & valorem sufflaminat. Præterea quia, re unâ uni venditâ & traditâ, amittitur dominium, amittitur etiam potestas, rem illam alteri vendendi &



di & tradendi; ideòq; secunda venditio & tractio, ob carentiam in potestate, censetur nulla.

- 156 Dico II. Quando actus est prohibitus ob indecentiam, in materia repertam, eaque causam habet perpetuam, non tantum illicitus, sed etiam inutilis est. Suarez *cit. l. n. 5.* Covarrav. in 4. *Decret. p. 2. cap. 6. in pr. num. 7.* & alii, ab hoc citati. Ratio est: quia, dum ipsemet actus solum Juri Naturæ inimicus est, nec pro certo solum tempore, sed in perpetuum, nequit actus pro ullo tempore validus esse. Sed quando actus prohibetur ob indecentiam & turpitudinem, in materia inventam, eaque causam habet perpetuam, ipsemet actus valor Juri Naturæ inimicus est, & quidem in perpetuum: cum duratio & continuatio indecentiæ faciat actum perpetuum esse prohibendum. Ergo &c. Quare si matrimonium in primo consanguinitatis gradu in linea recta inter patrem & filiam contrahatur, æquè illicitum atque invalidum Jure Naturæ reputandum est: turpitudine namque & indecentia, quæ tale commercium constituit illicitum, perpetuam habet causam: dum non tantum turpe & indecens est, patrem cum filia conjungi per consensum, sed multò turpius & foedius, conjungi per copulam, quòd 158

158 Scunque tempore exercitum. Pariter cum usura non tantum in acceptione, sed

etiam in retentione eandem prohibendi causam retineant, nempe inæqualitatem interdatum & acceptum, nullitatem tituli (mutui videlicet, ad pariendum lucrum sterilis & infuscundi) ac locupletationem cum manifesto alterius detrimento &c. non tantum invalidè promittuntur, sed & invalidè solvuntur, ac restitutioni subjacent.

Dico III. Quando actus Jure Naturæ prohibitus est ex alio motivo, solum illicitè, non verò invalidè ponitur. Suarez *cit. l. n. 6.* Ratio est: quia, supposita potestate agentis, capacitate materiæ, defensione turpitudinis & indecentiæ, concurrunt omnia requisita ad substantiam actus, quantumvis ex alio capite prohibiti. Ergo talis actus licet prohibitus & illicitus sit, non tamen est invalidus. Hinc matrimonium validè contrahitur cum voto castitatis simpliciter: hoc enim non aufert, sed ligat tantummodò potestatem in corpus proprium; potestatem in matrimonio, post votum contractò, honestus esse usus reddendò, non petendò debitum. Hinc secunda

161 venditio post primam, sine traditione factam, una cum traditione interposita valet: quia penes venditorem ante traditionem remansit dominium, adeoque & potestas iterum vendendi & transferendi. Textus in *cap. 1. de Sponsa duorum, & l. 15. Cod. de R. V.*

### §. III.

#### An obligatio Juris Naturalis aliquam mutationem recipiat?

- 162 Quid Naturalis Juris obligatio sit immutabilis, aliquoties in antecedentibus incidenter adnotatum est. An ergo nullam penitus mutationem recipiat? Ex instituto sunc dispendium, & Præmonendum est I. mutationem Legis esse duplicem, intrinsecam, & extrinsecam. 163 Intrinseca est, quando motivum & ratio constituende Legis cessat. Et hoc modò Legem Naturalem ab intrinseco nonnunquam mutari posse, liquet ex *cap. 1. num. 405.* ubi conclusum habetur, Legem Naturalem, quæ absolute & pro omni circumstantia intrinsecam malitiam non continet, aliquando non obli-

164 gare. Extrinseca mutatio est, quando, manente Legis motivò, illius obligatio ab agente extrinseco, Superiore videlicet aut Legislatore, ex parte vel ex toto aboletur.

165 Præmonendum II. mutationem extrinsecam Legis rursus bifariam esse, propriam & impropiam. Propria, quam etiam formalem appellare solent, est, quando, manentibus iisdem circumstantiis, Lex in se totaliter vel partialiter tollitur, ita ut nuda Legislatoris voluntas perimat obligationem Legis, ut evenit in dispensatione, ab- aut derogatione 166 Legis. Impropria, aliàs materialis dicta, est quando, variatis circumstantiis, materia seu objectum Legis non amplius sub Lege & Legislatoris intentione comprehenditur. Quà ratione Lex de non- auferendo alieno dicitur impropiè & materialiter immutari, quando

dominus consentit: quia tunc circumstantia, si dominus invitatus sit (sub qua ablatio rei alienæ terminabat Legem) variatur; indeque materia non amplius sub Lege concluditur.

Præmonendum III. materiam Legis Naturalis humanæ potestati subinde subjectam esse; subinde Divinæ; subinde neutri. Humanæ potestati subest, quando vel circa bonam externam versatur; vel ex præcedente actu voluntatis humanæ Legem terminat. Divinæ potestati subiacet, quando Divinæ perfectioni & sanctitati non repugnat. Neutri potestati materia Legis Naturalis est subdita, quando illius exemptio sub Lege Divinæ perfectioni & sanctitati adversatur.

Præmonendum IV. cardinem præsentis 168 questionis non in eo verti; possintne Jus Naturæ permissivum aliquam mutationem recipere? Nam ex *n. 8. & 9.* demonstratum manet, Jus Naturæ in hoc sensu nihil præcipere, aut determinare absolute, sed conditionatè se habere, donec à potestate publica & Legislativa alia fiat dispositio & Legislatio. Et hinc provenit, quòd potuerit de Jure humano introduci servitus, minus & adimi legitima, determinari successio ab intestato, personæ, alioquin idoneæ, ad testandum, contrahendum, agendum &c. inhabilitari: quia ejus generis actus non sunt materia Juris Naturalis præceptivi, sed permissivi & negativivi. Questionis itaque summa & substantia in Jure Naturæ præceptivò versatur. In quo supposito Dico

169 Dico I. Jus Naturæ formaliter & propriè ne Divinè quidem autoritate mutari potest. Reading de *LL. q. 15. a. 2. contr. 3. n. 10.* Stadlmayr de *LL. d. cap. 2. th. 6.* Menzer *disp. 32. art. 3. n. 5.* Wenzl de *LL. q. 2. §. 3.* D. Gletle *Jurisprud. fund. lib. 1. tit. 2. cap. 2. §. 5. n. 10.* Clariss. D. Franz ad *tit. Instit. de J. N. G. & C. c. 1. n. 22.* contra Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 6. n. 5.* & alios, quos citant nobiscum sentientes Suarez de *LL. l. 2. cap. 14.* & Giba-

170 linus *Sciencia Can. l. 3. cap. 3. q. 3. n. 6.* Probatur I. Fidelis DEUS, seipsum negare non potest 2. ad *Timoth. 2. v. 13.* Sed si DEUS immutaret Legem Naturæ formaliter & propriè, seipsum negaret. Negaret liquidem, sibi deberi cultum, amorem, venerationem; quin & affirmaret, se odiò, aversione, injurià dignum esse, hoc ipsò, quòd præcepta primæ Decalogi tabulæ, tanquam prima Naturæ principia, colleret. Ergo &c.

171 Probatur II. Quod ab intrinseco repugnat humanæ Naturæ, nequit, manentibus iisdem circumstantiis, eidem fieri concedens aut consentaneum: alias enim eadem facilitate rerum statæ & fixæ essentiæ inveri, gravia descendere fursum, frigida conjungi calidis, & totus Naturæ ordo confundi posset. Sed quæ Jure Naturali prohibita sunt, ab intrinseco repugnant humanæ Naturæ. Ergo, manentibus iisdem circumstantiis, nequeunt eidem fieri concedentia & consentanea. Ergo, quæ Jure Naturæ prohibita sunt, nequeunt formaliter & propriè mutari. Intel-

172 lex hoc ipsum Aristoteles, dum *1. Ethic. 6. cap. 7.* ad Nicomachum scribit: *quidquid est ex Natura, seu Naturale, immobile, seu immutabile est, & nullibi non eandem vim obinet, quem admodum ignis & vis & apud Persas pariter urit.* Intellexit Imperator, dum in *§. 11. Instit. de J. N. G. & C.* asseruit: *Naturalia Jura Divinè quadam providentiâ confirmata, semper firma atque immutabilia permanere.*

173 Neque reponas: superius in *num. 34.* fuisse dictum, quòd omne malum formale malitiam ab extrinseca voluntate prohibentis desumat; eaque propter sublatam prohibitionem DEI tanquam Authoris Naturæ & Juris Naturalis, præceptorum negativorum transgressiones non amplius esse malas formaliter.

174 Contra enim est I. quia objecta Legis Naturalis prohibitiæ independentè à voluntate prohibentis habent fundamentalem, radicalem, & physicam malitiam, ratione cujus quædam innata abhorrentia & fuga similitum objectorum in homine reperitur: idcirco licet ex sola extrinseca DEI prohibentis voluntate formalem malitiam induant, at tamen ex se Naturæ rationali quæ tali contraria & dissentanea nunquam non sunt ex *cit. n. & seqq.* Ergo non obstante, quòd DEUS prohibitionem suam aboleret, nihilominus adhuc superesset disconvenientia objecti cum ratione Naturali, staretque inconcussum Juris Naturalis fundamentum.

Contra est II. quia, esto formalis peccatorum malitia consistat in prohibitione Divinè, at tamen illa prohibitio non tam libera quam necessaria est: quæ enim ex intrinseca disconvenientia cum Natura humana expedit simpliciter esse prohibita, necessariò prohibentur. Quod vero ex necessitate prohibetur, nequit ex libera voluntate pro libito mutari. Quare sapienter Cicero *l. 3. de LL. vim populis innatam esse, testatur, quæ non modo senior est, quàm ætas populorum & civitatum, sed æqualis illius: Cælum atque terras tuentis & regentis DEI. Neque enim esse menti Divinæ sine ratione potest; nec ratio Divinæ non hanc vim in rebus prævisque sanctandis habere.*

Instabis: Divina voluntas non potest cessitari ab ulla creatura. Ergo Lex Naturæ non ponitur necessariò, sed liberè. Quod autem ex solo beneplacito statuitur, contrarià voluntate rursum liberè commutatur.

Resp. Divinam voluntatem non magis cessitari à creatura in statuendò Jure Naturæ, quam determinandò rerum naturalium essentia: sicut enim rerum essentias alterare non potest, ita nec Jus Naturæ. Jam verò notissimum est, libertatem DEI non violari, quòd rerum essentias transformare non valeat: eò quòd liberum quidem DEO sit, rerum essentias ponere, vel non ponere quoad exercitium, liberum verò non sit, easdem essentias quoad suam speciem immutare. Ergo etiam libertas DEI non violatur ex hoc, quòd Naturæ Jus mutari non possit: quia, esto liberum fuerit, Jus Naturæ, sicut humanam Naturam, creare quoad exercitium, non tamen erat liberum, creare quoad specificationem. Non absurdum responsum dabit P. Wenzl *circ. loc.* & Clariss. P. Henricus Hardter in *suo princ. & reg. extrinsec. hum. q. 2. art. 2. §. 2. n. 20.*

Dico II. Quando materia Juris Naturalis pendet à potestate humana, Jus Naturæ materialiter & impropiè ab ipsa humana potestate transmutari potest. Ita laudat DD. Probatur. Legem Naturalem impropiè mutari nihil est aliud, quàm circumstantias ita variari, ut materia non amplius sub Lege & Legislatoris intentione contineatur ex *n. 166.* Sed quando materia Juris Naturalis pendet à potestate humana, hæc circumstantia ita variari potest, ut materia non amplius maneat sub Lege & Legislatoris intentione. Ergo &c. Confirmatur. Quando materia Juris Naturalis humanæ dispositioni subest, non habet obligationem absolutam, sed conditionatam, quousque videlicet humana potestas aliud non fuerit. Ergo si humana potestas aliud statuat, Jus Naturæ definit obligare: quia, cessante conditione, non tantum contractus & actus privatorum, sed etiam Leges, conditioni alligatæ, cessant obligare; ut discurremus in simili *cap. 1. num. 29.*

Dices: hanc mutationem, quam impropiam appellamus, non tam extrinsecam, quam intrinsecam esse: quandoquidem ubi Lex definit obligare propter mutatum, se



tenentem ex parte materiæ, ab intrinseco mutari videtur.

182 Resp. in re nihil interesse, num mutationem hanc appellemus intrinsecam, an extrinsecam; placuit tamen, eandem extrinsecam propterea nuncupare: quia Lex naturalis non cessat obligare ex natura sua, sed ex voluntate Legislatoris, quæ extrinsecus ad Legem Naturalem se habet. Manendò itaque in terminis jam receptis, ex antecedenti conclusione

183 Sequitur I. Votum, liberè & deliberatè nuncupatum DEO, licet Naturali Jure voventem obstringat (cum æquè conveniens sit, DEO, quàm homini præstitam servare fidem) attamen humanà potestate relaxari potest. Ratio est: quia votum non obligat, nisi dependet à voluntate voventis. Ergo materia voti subiecta est potestati humanæ: cum ipsa voluntas hominis, à qua substantia voti proficiscitur, eidem subiecta sit, juxta illud Apostoli ad Rom. 13. §. 1. *Omnis anima sublimaribus potestariis subdita sit.* Ergo quia votum non obligat absolutè, sed conditionatè, quàmdiu nempe Superior voventem voluerit esse obligatum, relaxari à Superiore potest, absque eo quòd Jus Naturæ formaliter immutetur. Gibalinus *cit. l. n. 33.* Idem de Juramento dicendum est.

184 Sequitur II. obligationes, quæ consurgunt ex pacto vel contractu prævio, autoritate humanà vel tolli vel diminui posse. Ratio est: quia similes obligationes habent innexam tacitam conditionem, si Superior consenserit, nec iusta ex causa pactum vel contractum irritaverit. Postulaverat siquidem recta gubernanda Reipublicæ methodus, ut Superior tam amplà potestate sit conspicuus, quàm subditorum voluntates & obligare, & ab obligatione eximere possit, quoties iusta & rationalis causa hoc suaserit. Dum ergo contractus cum pupillo, minore, prodigo, &c. celebratus, Jure Civili pronuntiatur irritus, non Jus Naturæ mutatur, sed materia seu promissio, immutatis circumstantiis, Juri Naturæ subtrahitur: quippe quæ Juri Naturæ non absolutè subjacebat, sed in illa tantum circumstantia, ubi à Principe non fuerit irritata.

185 Sequitur III. vinculum matrimonii rati à S. Pontifice dissolvi posse, sine dissolutione Juris Naturalis. Ratio est: quia matrimonii vinculum Divinà quidem ordinatione, prævià tamen ac mutua conjugum voluntate & conventionem, inducitur. Ergo Lex Naturalis de tenenda individua vitæ consuetudine habet pro materia promissionem humanam, & hoc ipsò dispositioni Ecclesiæ subiectam. Ergo, si Summus Ecclesiæ Princeps, Romanus Pontifex, promissionem irritet, tollitur vinculum matrimonii, nec tamen infringitur Jus Naturæ, utpote quòd obligare definit in illa circumstantia, quando promissio & conventio de perpetua cohabitatione & conjunctione irritata fuisse supponitur.

186 Dico III. Quando materia Juris Naturalis

subjacet dispositioni Divinæ, Jus Naturæ mutari potest improprie, saltem autoritate Divinâ. Authores citati. Probatur conclusio hæc eadem ratione, quâ prior: quia, si materia Juris Naturalis Divinæ dispositioni subjaceat, Jus Naturæ non præcipit, vel prohibet absolutè, sed conditionatè & pro certa circumstantia, nisi DEUS materiam à præcepto vel prohibitionem eximat, Jus Naturæ non amplius obligat; sicque mutatur improprie, seu ex parte solius materiæ. Unde

Declaratur I. quâ ratione DEUS potuerit contra quintum Decalogi præceptum, *non occidas*, Abrahamo *Genes. 22. §. 2.* præcipere, ut filium, quem habebat, unicum Isaacum sibi immolaret. Nam occisio innocens tamdiu est mala Jurique Naturali dissona, quàm diu est mala innocenti. At si DEUS, qui totius creaturæ Dominus, *Judith 9. §. 17. vita & mortis habet potestatem. Sap. 16. §. 13. vivificat & mortificat. 1. Reg. 2. §. 6.* ad ostendendam absolutissimi Domini magnificentiæ jubeat innocentem occidi, occisio non est mala innocenti, sed bona potius: quippe autoritate illius peracta, qui potest malum in bonum, ac mortem in vitam commutare. Reverendiss. & Magnific. Stadlmayr *cit. l. P. Erhardt de Peccat. th. 31.*

Declaratur II. quomodo cum *Osea Osea 1. 188 §. 2.* sextum præceptum Decalogi, *non moechaberis*, fuerit relaxatum. DEUS siquidem tam vitæ quam corporum nostrorum plenissimò potitur dominio; ideoque præceptum de non-fornicando aut adulterando non potuit *Oseam* aut quemvis alium diutius obligare, quàm Supremus ille corporum humanorum Dominus jus in alienum corpus non indidisset: neque enim accedere ad alienam uxorem dicitur, cui Divinâ indulgentiâ jus in corpus alienæ fœminæ concessum est. Quia igitur *Oseæ* datum est dominium in corpus mulieris fornicariæ, & quidem, ut plurimè interpretatur, ad representandam mysterium Dominicæ Incarnationis, in qua Divinæ Benignitati placuit, sponsam adulteram, corruptam, & contaminatam (humanam scilicet naturam) sibi copulare: non Jus Naturæ mutatum, sed materia illi subducta est. P. Wenzl *loc. jam cit.*

Declaratur III. quòd Jure Hebræis *Exodi 12. 189* contra præceptum septimum, *non furum facies*, licentia fuerit tributa, *Aegyptum* spoliandi. Nempe præceptum septimum non obligat in illa circumstantia, quâ dominus ablatæ rei non invitus esse supponitur. Ergo non obligat in illa circumstantia, quâ Primus & Supremus bonorum temporalium Dominus licentiam auferendi & spoliandi largitur. Nisi dicere, cum Philone Hebræo, malis, bonorum temporalium facturâ deesset ab *Aegyptiis* pensari injurias, quibus Hebræos, durante servitute, afflixerant.

Declaratur IV. polygamiam, quam juxta *190* utramque speciem Juri Naturali disconveni-

re, offendimus à *num. 120.* ex Divinâ concessionem Patribus antiquis licitam fieri potuisse. Enimverò quòd viro uni unam tantum uxorem ducere liceat, provenit radicaliter ex contractu matrimoniali, quò mutua corporum traditio uni ab uno facta esse: sicque quia & humanam invertere voluntatem, & corpora facere pluribus communia DEUS valet: valet quoque prohibitionem polygamie materialiter immutare, ac uni viro plures uxores, sicut & uni uxori plures viros ducendi, libertatem addicere. Stadlmayr *d. th. 6.* Gibalinus *cit. cap. 3. §. 3. num. 28.*

191 Dico IV. Quando materia Juris Naturalis ne quidem Divino arbitrio subiecta est, nullam penitus mutationem Jus Naturæ recipit. Authores primæ conclusionis. Probatur. Quod in omni circumstantia retinet suam deformitatem & inhonestatem, nunquam à Deo fit & redditur licitum & honestum: neque enim DEUS, qui est infinita sanctitas, aut malum approbare, aut inhonestum cohonestare potest. Sed quando materia Juris Naturalis ne quidem Divino arbitrio subiecta est, in omni circumstantia retinet suam deformitatem & inhonestatem: quia semper & pro semper habet repugnantiâ intrinsecam, cum vera ratione. Ergo nunquam à DEO fit & redditur licita. Confirmatur.

DEUS nequit facere, quod infinitam suam perfectionem dedecet, & deformat. At Divinam DEI perfectionem dedecet, & deformat, ea facere licita, quæ ne quidem quoad

materiam dependent à voluntate Divinâ: quia ex simili licentia plerumque contingeret, ut discrimen subiret aliqua perfectio Divina. Ergo &c. Ex hac conclusione

Inferitur I. odium DEI vel blasphemiam, in nullo casu cohonestari, & concedi posse. Nam odium DEI & blasphemiam nec quoad materiam dependent à voluntate Divinâ, utpote quæ nequit efficere, ut Summum Bonum in ullo casu odio, ludibrio, & contemptui exponatur, cum hoc ipsò ratio Summi Boni cessare posset. Gibalinus *d. q. 3. n. 15.*

Inferitur II. nec mendacium in ulla hypothesei Divinitus reddi posse licitum. DEUS quippe est Prima, Infalibilis, & Immutabilis Veritas, quæ nec fallere, nec falli potest. Si verò mendacium in ulla hypothesei concederetur, jam non amplius Infalibilis esset Veritas: cum, licet non falleretur, falleret tamen illos, quibuscum sermo per mendacium confertur. Ergo mendacium in nulla hypothesei Divinitus concedi potest: quia locutio contra mentem, ad fallendum auditorem instituta, utique non subest Divino dominio, cui, ut dictum, repugnat, fallere aut falli posse. Hinc in Evangelio Joannis *cap. 8. §. 44.* de demone pronuntiavit Veritas Divinâ: *mendax est, & pater mendacii;* optimò argumentò, mendacium à demone solum prodire, ut qui in *cit. textu pater*, id est, inventor mendacii proclamatur; non à DEO, de quo in *Psalms. 5. §. 7.* dicitur: *perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Gibalinus *d. l. 2. c. 3. §. 3. n. 16.*

#### §. IV.

##### Utrum Jus Naturæ veram epikiam admittat?

195 Quid Jus Naturæ epikiam impropriam, quæ est nuda Legis declaratio & explicatio, admittat, jam superius admissum est à nobis in *cap. 1. n. 405.* Et meritò: tum quia Naturalia præcepta quandoque discursu indigent, ut ritè percipiuntur, & applicentur: tum quia non obligant semper absolutè, sed non ratò conditionatè, positus nempe certis circumstantiis: tum quia præceptum v. g. de homicidio vitandò; de voto exsolvendo; de deposito reddendo &c. suam limitationem recipit, si homicidium ex causa necessariâ defensionis suscipiatur; si votum servatum non sit possibile; si depositum à furioso repetatur. Covarruvius in *4. Decretal. part. 2. cap. 6. §. 9.* Suarez de *LL. l. 2. cap. 16. num. 6.* Pettichacher *q. 3. art. 3.*

196 Quæstio igitur & difficultas movetur de epikia vera & propria, quâ non tam interpretatur, quàm emendandam Legem, atque casum, Legem comprehensum, ex benigna præsumptione à Lege excipimus. Et hanc etiam in Jure Naturæ reperi, propugnant Cajetanus, Soro, Felinus in *cap. quæ in Ecclesiarum de Constit. num. 26.* & à fortiori omnes, qui veram in Jure Naturæ mutationem admittunt. Contra quos

Dico: Jus Naturæ veram epikiam non admittit. Suarez *cit. cap. num. 7.* Gibalinus *cit. l. num. 11.* Pettichacher *loc. cit.* & ni fallor, omnes, qui nobiscum in *§. anteced.* veram & formalem mutationem in Jure Naturæ negant. Ratio est I. quia Jus Naturæ, cum in recta ratione fundatum, atque à Lege DEI æterna distinctum non sit, non potest in ullo casu deficere. Ergo etiam in nullo casu per epikiam emendari potest. Ant. prob. DEUS & Natura non deficiunt in sua providentiâ. Ergo nec Jus Naturæ deficit: cum ex DEI & Naturæ singulari providentiâ constitutum sit.

II. Jus Naturæ præcipit, & prohibet, quæ decemant vel indecimentum habent connatam & intrinsecam. Sed fieri non potest, ut, quæ ex connata indole sunt decemant, evadant indecentia; & vicissim. Ergo nec fieri potest, ut Jus Naturæ in aliquo casu deficiat. Ergo non potest admitti epikia.

III. quia Juris Naturalis formalis & propria mutatio est implicatoria. Ergo & epikia vera, quæ Jus Naturæ in casu particulari verissime immutat.

Oppones: Lex positiva recipit veram epikiam. Ergo etiam Naturalis. Conseq. prob. Idèd Lex positiva recipit veram epikiam: